Et genitrix facta est, partuq; enixa gemellos,
Cætera qui matris, pennas genitoris habebant.
Non tamẽ has memorant vna cum corpore natas,
720 Barbaq; dum rutilis aberat subnixa capillis,
Implumes Calaisq; puer, Zetesq; fuerunt.
Mox pariter pennæ ritu cœpere volucrum
Cingere vtrunq; latus, pariter flauescere malæ.
Ergo vbi concessit tempus puerile iuuentæ,
725 Vellera cum Minyis nitido radiantia villo,
Per mare non notum prima petiere carina.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. VII.

TAMQVE fretum Minyæ Pagasæa puppe secabant,
Perpetuaq; trahens inopem sub nocte senectam
Visus erat Phineus, iuuenesq; aquilõe
Virgineas volucres miseri senis ore fugarãt. (creati
5 Multaq; perpessi claro sub Iasone, tandem
Contigerant rapidas limosi phasidos vndas.
Dumq; adeunt regem, Phrixeaq; vellera poscũt,
Voxq; datur Minyis magnorũ horrenda laborũ,
Concipit interea validos Aeetias ignes,
10 Et luctata diu post, quam ratione furorem
Vincere non poterat, frustra Medea repugnas,
Nescio quis deus obstat ait, mirũq; quid hoc est,
An aliquid certe simile huic, q̃d amare vocatur,
Nam cur iussa patris nimiũ mihi dura videntur?
15 Sunt quoq; dura nimis, cur quẽ modo deniq; vidi,

Ne pereat, timeo: quæ tanti causa timoris:
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infœlix, si possem, sanior essem,
Sed trahit inuitam noua vis, aliudq; Cupido,
Mens aliud suadet, video meliora, proboq;, 20
Deteriora sequor, quid in hospite regia virgo
Vreris: & thalamos alieni concupis orbis:
Hæc quoq; terra potest, q̃d ames dare, viuat, an ille
Occidat, in diis est, viuat tamen, idq; precari
Vel sine amore licet, quid enim cõmisit Iason: 25
Quem nisi crudelem non tangat Iasonis ætas:
Et genus & virtus: quem non, vt cætera desint,
Forma mouere potest: certe mea pectora mouit.
At nisi opem tulero, taurorum afflabitur ore,
Concurretq; suæ segetis tellure creatis 30
Hostibus, aut auido dabitur fera præda draconi.
Hoc ego si patiar, tunc me de Trigide natam,
Tunc ferrũ, & scopulos gestare in corde fatebor.
Cur non & specto pereuntem: oculosq; videndo
Conscelero: cur non tauros exhortor in illum: 35
Terrigenasq; feros, insopitumq; Draconem:
Dij meliora velint, quanquã non ista precanda,
Sed facienda mihi, prodam ne ego regna parentis,
Atq; ope nescio quis seruabitur aduena nostra:
Vt per me sospes sine me det lintea ventis: 40
Virq; sit alterius: pœnæ Medea relinquar:
Si facere hoc, aliamve potest præponere nobis,
Occidat ingratus, sed non is vultus in illo.
Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ,
Vt timeam fraudem, meritiq; obliuia nostri. 45
Et dabit ante fidem, cogamq; in fœdera testes

Esse deos, quid tuta times? accingere, & omnem
Pelle moram, tibi se semper debebit Iason.
Te face solemni iunget sibi, perq; Pelasgas
50 Seruatrix vrbes matrum celebrabere turba.
Ergo ego germanã, fratremq;, patrẽq;, deosq;,
Et natale solum ventis ablata relinquam?
Nempe Pater sæuus, nẽpe est mea Barbara tellus.
Frater adhuc infans, stant mecum vota sororis.
55 Maximus intra me deus est, non magna relinquã.
Magna sequar, titulum seruatæ puppis achiuæ,
Notitiamq; loci melioris, & oppida, quorum
Hic quoq; fama viget, cultusq;, artesq; virorum,
Quẽq; ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
60 Aesoniden mutasse velim, quo coniuge fœlix
Et diis cara ferar, & vertice sydera tangam.
Quid? q; nescio qui mediis incurrere in vndis
Dicuntur montes? ratibusq; inimica Charybdis
Nunc sorbere fretũ, nunc reddere, cinctaq; sæuis
65 Scylla rapax canibus siculo latrare profundo?
Nempe tenens q̃d amo, gremioq; in Iasonis hærens
Per freta longa ferar nihil illũ amplexa timebo.
Aut si quid metuam, metuam de coniuge solo.
Coniugium ne putas? speciosaq; nomina culpæ,
70 Imponis Medea tuæ? quin aspice quantum
Aggrediare nefas, & dum licet effuge crimen.
Dixit, & ante oculos rectum, pietasq;, pudorq;
Constiterant, & victa dabat iam terga cupido.
Ibat ad antiquas Hecates Perseidos aras,
75 Quas nemus vmbrosum, secretaq; sylua tegebat.
Et iam fractus erat, pulsusq; resederat ardor.
Cum videt Aesoniden, extinctaq; flãma reluxit.

Etrubuere genæ,totoq; recanduit ore.
Vt ſolet a ventis alimenta reſumere,quæq;
Parua ſubinducta latuit ſcintilla fauilla, 80
Creſcere,& in veteres agitata reſurgere vires,
Sic iam lenis amor,iam quē languere putares,
Vt vidit iuuenem,ſpecie præſentis inarſit.
Et caſu ſolito formoſior Aeſone natus
Illa luce fuit,poſſes ignoſcere amanti. 85
Spectat,& in vultu veluti tum deniq; viſo,
Lumina fixa tenet,nec ſe mortalia demens
Ora videre putat,nec ſe declinat ab illo.
Vt vero cæpitq; loqui,dexteramq; præhendit
Hoſpes,& auxilium ſummiſſa voce rogauit, 90
Promiſitq; torum,lachrymis ait illa profuſis,
Quid faciam,video,nec me ignorantia veri
Decipiet,ſed amor,ſeruabere munere noſtro.
Seruatus promiſſa dato,per ſacra triformis
Ille deæ,lucoq; foret quod numen in illo, 95
Perq; patrem ſoceri cernentem cuncta futuri,
Euentusq; ſuos,& tanta pericula iurat.
Creditus accepit cantatas protinus herbas.
Edidicitq; vſum,lætusq; in tecta receſſit.
Poſtera depulerat ſtellas aurora micantes. 100
Conueniūt populi ſacrum Mauortis in aruum.
Conſiſtuntq; iugis,medio rex ipſe reſedit
Agmine purpureus,ſceptroq; inſignis eburno.
Ecce adamanteis vulcanum naribus efflant
Aeripedes tauri,tactæq; vaporibus herbæ 105
Ardent,vtq; ſolent pleni reſonare camini,
Aut vbi terrena ſilices fornace ſoluti
Concipiūt ignem liquidarū aſpergine aquarum,

Pectora sic intus clausas voluentia flammas,
110 Gutturaq; usta sonant, tamen illis Aesone natus
Obuius it, vertere truces venientis ad ora
Terribiles vultus, præfixaq; cornua ferro,
Puluereumq; solum pede pulsauere bisulco,
Fumificisq; locum mugitibus impleuere.
115 Diriguere metu subito Minyæ, ille nec vllos
Sensit anhelatus, tantum medicamina possunt,
Pendulaq; audaci mulcet palearia dextra,
Suppositosq; iugo pondus graue cogit aratri
Ducere, & insuetum ferro proscindere campum.
120 Mirantur Colchi, Minyæ clamoribus augent,
Adiiciuntq; animos, galea tum sumit ahena
Vipereos dentes, & aratos spargit in agros.
Semina mollit humus valido præcincta veneno,
Et crescunt, fiuntq; sati noua corpora dentes,
125 Vtq; hominis speciem materna sumit in aluo,
Perq; suos intus numeros componitur infans,
Nec nisi maturus communes exit in auras,
Sic vbi visceribus grauidæ telluris imago
Effecta est hominis, fœto consurgit in aruo,
130 Quodq; magis mirũ est, simul edita cõcutit arma,
Quos vbi viderunt præacutæ cuspidis hastas
In caput Aemonij iuuenis torquere parantes,
Demisere metu, vultumq;, animumq; pelasgi.
Ipsa quoq; extimuit, quæ tutum fecerat illum,
135 Vtq; peti vidit iuuenem tot ab hostibus vnum,
Palluit, & subito sine sanguine frigida sedit,
Neve parum valeant a se data gramina, carmen
Auxiliare canit, secretasq; aduocat artes.
Ille grauem medios silicem iaculatus in hostes,

A se depulsum Martem conuertit in ipsos. 140
Terrigenæ pereunt per mutua vulnera Fratres,
Ciuilicq; cadunt acie, gratantur Achiui,
Victoremq; tenent, auidisq; amplexibus hærent.
Tu quoq; victorem complecti Barbara velles.
Obstitit incepto pudor, at complexa fuisses, 145
Sed te ne faceres, tenuit reuerentia famæ.
Quod licet, affectu tacito lætaris, agisq;
Carminibus grates, & diis authoribus horum,
Peruigilem superest herbis sopire Draconem,
Qui crista, linguisq; tribus præsignis, & vncis 150
Dentibus horrendus, custos erat arboris aureæ.
Hunc post, quam sparsit lethæi gramine succi,
Verbaq; ter dixit placidos facientia somnos,
Quæ mare turbatũ, quæ concita flumina sistunt,
Somnus in ignotos oculos vbi venit, & auro 155
Heros Aesonius potitur, spolioq; superbus
Muneris authorem secum spolia altera portans,
Victor Iolciacos tetigit cum coniuge portus.
Aemoniæ matres pro natis dona receptis,
Grandæuiq; ferunt patres, congestaq; flamma 160
Thura liquefaciunt, indutaq; cornibus aurum
Victima, vota facit, sed abest gratantibus Aeson
Iam propior leto, fessusq; senilibus annis.
Tum sic Aesonides, o cui debere salutem
Confiteor coniux, quanquã mihi cuncta dedisti, 165
Excessitq; fidem meritorum summa tuorum,
Si tamẽ hoc possunt (qd em̃ non carmina possunt:)
Deme meis annis, & demptos adde parenti.
Nec tenuit lachrymas, mota est pietate rogantis,
Dissimilemq; animũ subiit pater Aeeta relictus, 170

Non tamen affectus tales confessa, quod inquit
Excidit ore tuo coniux scelus? ergo ego cuiquam
Posse tuæ videor spacium transcribere vitæ?
Non sinat hoc Hecate, nec tu petis æqua, sed isto
175 Quod petis experiar maius dare munus Iason.
Arte mea soceri longum tentabimus æuum
Non annis renouare tuis, modo diua triformis
Adiuuet, & præsens ingentibus annuat ausis,
Tres aberant noctes, vt cornua tota coirent,
180 Efficerentq; orbem, post, quam plenissima fulsit,
Et solida terras spectauit imagine Luna,
Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos,
Fertq; vagos mediæ per muta silentia noctis
185 Incomitata gradus, homines, volucresq;, ferasq;,
Soluerat alta quies, nullo cum murmure serpens
Sopito simílis nullo cum murmure serpit,
Immotæq; silent frondes, silet humidus aer.
Sydera sola micant, ad quæ sua brachia tendens
190 Ter se conuertit, ter sumptis flumine crinem
Irrorauit aquis, ternis & hiatibus ora
Soluit, & in dura summisso poplite terra,
Nox ait arcanis fidissima, quæq; diurnis
Aurea cum Luna succeditis ignibus astra,
195 Tuq; triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris,
Adiutrixq; venis, cantusq;, artesq; Magorum,
Quæq; Magos tellus pollẽtibus instruis herbis,
Auræq;, & venti, montesq;, amnesq;, lacusq;,
Diiq; omnes nemorũ, Diiq; omnes noctis adeste,
200 Quorum ope cum volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediere suos, concussaq; sisto,

Stantia concutio cantu freta, nubila pello,
Nubilaq; induco, ventos abigoq;, vocoq;.
Vipereas rumpo verbis, & carmine fauces,
Viuaq; saxa, sua conuulsaq; robora terra, 205
Et syluas moueo, iubeoq; tremiscere montes,
Et mugire solum, manesq; exire sepulchris.
Te quoq; Luna traho, quamuis temerata labores
Aera tuos minuant, currus quoq; carmine nostro
Pallent, ac pallet nostris aurora venenis. 210
Vos mihi taurorum flammas hebetastis, & vnco,
Haud patiens oneris collum pressistis aratro.
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis,
Custodemq; rudem somno sopistis, & aurum
Vindice decepto Graias misistis in vrbes. 215
Nunc opus est succis, per quos renouata senectus
In florem redeat, primosq; recolligat annos.
Et dabitis, neq; enim micuerunt sydera frustra,
Nec frustra volucrum tractus ceruice draconum
Currus adest, aderat demissus ab æthere currus. 220
Quo simul ascendit, frenataq; colla draconum
Permulsit, manibusq; leues agitauit habenas.
Sublimis rapitur, subiectaq; Thessala tempe
Despicit, & cretis regionibus applicat angues.
Et quas ossa tulit, quasq; altus Pelion herbas, 225
Othrysq;, & Pindus, & Pindo maior Olympus,
Perspicit, & placitas partim radice reuellit.
Partim succidit curuamine falcis ahenæ.
Multa quoq; Apidani placuerunt gramina ripis,
Multa quoq; Amphrysi, nec eras immunis Enipeu, 230
Nec non Peneus, nec non Sperchiades vndæ
Contribuere aliquid, iuncosaq; littora Bœbes.

Carpſit & Euboica viuax Anthedone gramen
Non dum vulgatum mutato corpore Glauci,
235 Nona dies illam curru, pennisq; draconum,
Nonaq; nox omnes luſtrantem viderat agros.
Cum rediit, nec erant tacti, niſi odore dracones,
Et tamen annoſæ pellem poſuere ſenectæ.
Conſtitit adueniens citra, limenq;, foresq;
240 Et tantum cœlo tegitur, refugitq; viriles
Contactus, ſtatuitq; aras e ceſpite binas.
Dexteriore Hecates, at leua parte iuuentæ.
Has vbi verbenis, ſyluaq; incinxit agreſti,
Haud procul egeſta ſcrobibus tellure duabus
245 Sacra facit, cultrosq; in guttura velleris atri
Coniicit, & patulas perfundit ſanguine foſſas.
Tum ſuper inuergens tepidi carcheſia lactis,
Alteraq; inuergens liquidi carcheſia mellis,
Verba ſimul fundit, terrenaq; numina poſcit,
250 Vmbrarumq; rogat rapta cum coniuge regem,
Ne properent artus anima fraudare ſenili.
Quos vbi placauit, precibusq; & murmure longo
Aeſonis effœtum proferri corpus ad aras
Iuſſit, & in plenos reſolutum carmine ſomnos
255 Exanimi ſimilem ſtratis porrexit in herbis.
Hinc, pcul Aeſonidē, pcul hinc iubet ire miniſtros,
Et monet arcanis oculos remouere profanos.
Diffugiunt iuſſi, ſparſis Medea capillis
Bacchantum ritu flagrantes circuit aras,
260 Multi fidasq; faces in foſſa ſanguinis atra
Tingit, & infectas geminis accendit in aris.
Terq; ſenem flāma, ter aqua, ter ſulfure luſtrat.
Interea calido poſitum medicamen aheno

Feruet,& exultat,ſpumiſq; tumentibus albet.
Illic Aemonia radices valle reſectas, 265
Seminaq;,& flores,& ſuccos incoquit atros.
Adiicit extremo lapides oriente petitos,
Et quas Oceani refluum mare lauit arenas.
Addidit exceptas Lunæ de nocte pruinas,
Et Strigis infames,ipſis cum carnibus,alas. 270
Inq; virum ſoliti vultus mutare ferinos
Ambigui proſecta Lupi,nec defuit illis
Squamea Cinyphei tenuis membrana Chelydri,
Viuaciſq; iecur Cerui,quibus inſuper addit
Ora,caputq;,nouem cornicis ſæcula paſſæ. 275
His & mille aliis poſt,quam ſine nomine rebus
Propoſitum inſtruxit mortali Barbara munus,
Arenti ramo iampridem mitis oliuæ
Omnia confudit,ſummiſq; immiſcuit ima.
Ecce vetus calido verſatus Stipes aheno 280
Fit viridis primo,nec longo tempore frondes
Induit,& ſubito grauidis oneratur oliuis.
At quacunq; cauo ſpumas eiecit aheno
Ignis,& in terram guttæ cecidere calentes,
Vernat humus,floresq;,& mollia pabula ſurgũt. 285
Quæ ſimulat vidit,ſtricto Medea recludit
Enſe ſenis iugulum,veteremq; exire cruorem
Paſſa,replet ſuccis,quos poſt,quã combibit Aeſon
Autore acceptos,aut vulnere,barba,comæq;
Canicie poſita nigrum rapuere colorem. 290
Pulſa fugit macies,abeunt pallorq;,ſituſq;,
Adiectoq; cauæ ſupplentur corpore rugæ
Membraq; luxuriant,Aeſon miratur,& olim
Ante quater denosnunc ſe reminiſcitur annos.

295 Dissimilemq; animum subiit ætate relicta,
Viderat ex alto tanti miracula monstri
Liber, & admonitus iuuenes nutricibus annos
Posse suis reddi, capit hoc a Colchide munus.
Neve doli cessent, odium cum coniuge falsum
300 Phasias assimulat, Peliæq; ad limina supplex
Confugit, atq; illã, quoniã grauis ipsa senecta est,
Excipiunt natæ, quas tempore callida paruo
Colchis amicitiæ fallacis imagine cepit.
Dumq; refert inter meritorum maxima demptos
305 Aesonis esse situs, atq; hac in parte moratur,
Spes est virginibus Pelia subiecta creatis
Arte suum parili reuirescere posse parentem.
Idq; petunt iuuenes, pretium sine fine pacisci.
Illa breui spacio silet, & dubitare videtur.
310 Suspenditq; animos ficta grauitate, rogantum.
Mox vbi pollicita est, quo sit fiducia maior
Muneris huius ait, qui vestras maximus æuo est
Dux gregis inter oues, agnus medicamine fiet.
Protinus innumeris effœtus laniger annis
315 Attrahitur flexo circum caua tempora cornu,
Cuius vt Aemonio marcentia guttura cultro
Fodit, & exiguo maculauit sanguine ferrum,
Membra simul pecudis, validosq; venefica succos
Mergit in ære cauo, minuunt ea corporis artus,
320 Cornuaq; exurunt, nec non cum cornibus annos,
Et tener auditur medio balatus aheno.
Nec mora, balatum mirantibus, exilit agnus,
Lasciuitq; fuga, lactentiaq; vbera quærit,
Obstupuere satæ Pelia, promissaq; post, quam
325 Exhibuere fidem, tum vero impensius instant,

Ter iuga phœbus equis in Hibero flumine mersis
Dempserat,& quarta radiantia nocte micabant
Sydera,cum rapido fallax Aeetias igni
Imponit purum laticem,& sine viribus herbas.
Iamq; neci similis resoluto corpore,regem 330
Et cum rege,suos custodes somnus habebat,
Quē dederat cantus,magicæq; potentia linguæ,
Intrarant iussæ cum Colchide limina natæ,
Ambierantq; torū,quid nunc dubitatis inertes?
Stringite ait gladios,veteremq; haurite cruorem, 335
Vt repleam vacuas iuuenili sanguine venas.
In manibus vestris vita est,ætasq; parentis.
Si pietas vlla est,nec spes agitatis inanes,
Officium præstate patri,telisq; senectam
Exigite,& saniem coniecto emittite ferro. 340
His,vt quæq; pia est hortatibus,impia prima est.
Et ne sit scelerata,facit scelus,haud tamen ictus
Vlla suos spectare potest,oculosq; reflectunt,
Cæcaq; dant sæuis auersæ vulnera dextris,
Ille cruore fluens,subito tamen alleuat artus, 345
Semilacerq; toro tentat consurgere,& inter
Tot medius gladios pallentia brachia tendens,
Quid facitis natæ? quis vos in fata parentis
Armat ait? cecidere illis,animiq;,manusq;.
Plura locuturo,cum verbis guttura Colchis 350
Abstulit,& calidis laniatum mersit in vndis.
Quæ nisi pennatis serpentibus isset in auras,
Non exempta foret pœnæ,fugit alta,superq;
Pelion vmbrosum,philyræaq; tecta,superq;
Othryn,& euentu veteris loca nota Cerambi. 355
Hic ope nympharum sublatus in aera pennis,

Cum grauis infuſo tellus foret obruta ponto,
Deucalioneas effugit inobrutus vndas.
Aeoliam Pitanen a leua parte reliquit,
360 Factaq; de ſaxo longi ſimulacra draconis,
Idæumq; nemus, quo nati furta, iuuencum
Occuluit Liber falſi ſub imagine cerui.
Quaq; pater Coryti parua tumulatus arena,
Et quos Mæra nouo latratu terruit agros,
365 Eurypylicq; vrbem, qua Coæ cornua matres
Geſſerunt, tunc cum diſcederet Herculis agmen.
Phœbeamq; Rhodon, & Ialyſios Telchinas,
Quorum oculos ipſo mutantes omnia viſu
Iuppiter exoſus, fraternis ſubdidit vndis.
370 Tranſit & antiquæ Carthæia mœnia Cææ,
Qua pater Alcidamas placidam de corpore natæ
Miraturus erat naſci potuiſſe columbam.
Inde lacus Hyries videt, & Cygneia Tempe,
Quæ ſubitus celebrauit olor, nam Phyllius illic
375 Imperio pueri, volucresq;, ferumq; leonem
Tradiderat domitos, taurũ quoq; vincere iuſſus
Vicerat, & ſtricto toties iratus amori
Præmia poſcenti taurum ſuprema negauit.
Ille indignatus, cupies dare, dixit, & alto
380 Deſiluit ſaxo, cuncti cecidiſſe putabant.
Factus olor niueis pendebat in aere pennis.
At genitrix Hyrie ſeruatum neſcia, flendo
Delicuit, ſtagnumq; ſuo de nomine fecit.
Adiacet his Pleuron, in qua trepidantibus alis
385 Ophias effugit natorum vulnera Combe.
Inde Calaureæ Latoidos aſpicit arua.
In volucrem verſi cum coniuge conſcia regis.

Dextera Cyllene eſt, in qua cũ matre Menephron
Concubiturus erat ſæuarum more ferarum.
Cephiſon procul hinc deflentem fata nepotis 390
Reſpicit in tumidam Phocen ab Apolline verſi.
Eumelicq; domum lugentis in aere Natam.
Tandem vipereis Ephyren Pirenida pennis
Contigit, hic æuo veteres mortalia primo
Corpora vulgarunt pluuialibus edita fungis. 395
Sed poſt, quã Colchis arſit noua nupta venenis,
Flagrantemcq; domum regis male vidit, vtrocq;
Sanguine natorum perfunditur impius enſis.
Vltracq; ſe mater male, Iaſonis effugit arma.
Hinc titaniacis ablata draconibus, intrat 400
Palladias arces, quæ te iuſtiſſime Phineu,
Tecq; ſenex Peripha pariter videre volantes.
Innexamq; nouis, neptem Polyphemonis alis.
Excipit hanc Aegeus facto damnandus in vno.
Nec ſatis hoſpitiũ eſt, thalami quocq; fœdere iũgit. 405
Iamq; aderat Theſeus proles ignara parenti,
Qui virtute ſua bimarem pacauerat Iſtmon.
Huius in exitium miſcet medea, quod olim
Attulerat ſecum Scythicis Aconiton ab oris.
Illud Echidnææ memorant e dentibus ortum 410
Eſſe canis, ſpecus eſt tenebroſo cæcus hiatu.
Eſt via decliuis, per quam Tirynthius Heros
Reſtantem, contracq; diem, radiosq; micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante cathenis
Cerberon attraxit, rabida qui concitus ira 415
Impleuit pariter ternis latratibus auras
Et ſparſit virides ſpumis albentibus agros.
Has concreſce putant, nactasq; alimẽta feracis,

Fœcundicq; soli, vires cepisse nocendi.
420 Quæ quia nascuntur dura viuacia caute.
Agrestes Aconita vocant, ea coniugis astu
Ipse parens Aegeus nato porrexit, vt hosti.
Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra,
Cum pater in capulo gladij cognouit eburno
425 Signa sui generis, facinuscq; excussit ab ore.
Effugit illa necem nebulis per carmina motis.
At genitor quanquam lætatur sospite nato,
Attonitus tamen est geniti discrimine, paruo
Committi potuisse nefas, fouet ignibus aras,
430 Muneribusq; deos implet, feriuntq; secures
Colla torosa boum vinctorum cornua vittis.
Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxisse dies, agitant conuiuia patres,
Et medium vulgus, nec non & carmina, vino
435 Ingenium faciente, canunt, te maxime Theseu
Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri
Quodq; suam securus arat Cremyona colonus,
Munus, opusq; tuum est, tellus Epidauria per te
Clauigeram vidit Vulcani occumbere prolem.
440 Vidit & immitem Cephisias ora Procrusten,
Cercyonis letum vidit Cerealis Eleusis,
Occidit ille Scinis magnis male viribus vsus,
Qui poterat curuare trabes, & agebat ab alto
Ad terram late sparsuras corpora pinus.
445 Tutus ad Alcathoen Lelegeia mœnia limes
Composito Scirone patet, sparsisq; latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus vnda,
Quæ iactata diu fertur durasse vetustas
In scopulos, scopulis nomen Scironis inhæret.

Si titulos, annosq; tuos numerare velimus 450
Facta præment annos, pro te fortissime vota
Publica suscipimus, Bacchi tibi sumimus haustus,
Consonat assensu populi, precibusq; fauentum
Regia, nec tota tristis locus vllus in vrbe est.
Nec tamen (vsq; adeo nulla est syncera voluptas, 455
Solicitumq; aliquid lætis interuenit) Aegeus
Gaudia percepit nato secura recepto.
Bella parat Minos, qui quanquã milite, quanquã
Classe valet, patria tamen est firmissimus ira,
Androgeicq; necem iustis vlciscitur armis. 460
Ante tamen bello vires acquirit amicas,
Quaq; patent aditus volucri freta classe pererrat.
Hinc Anaphen sibi iungit, & Astypaleia regna.
Promissis Anaphen, regna Astypaleia bello
Hinc humilẽ Myconen, Cretosaq; rura Cymoli, 465
Florentemq; Cythnon, Syron, planãq; Seriphon,
Marmoreamq; Paron, quãq; impia prodidit Arne
Sithonis accepto, q; auara poposcerat, auro,
Mutata est in auem, quæ nunc quoq; diligit aurũ
Nigra pedes, nigris velata monedula pennis. 470
At non Oliaros, Didymeq;, & Tenos, & Andros,
Et Gyaros, nitidæq; ferax Peparethos oliuæ
Gnosiacas iuuere rates, latere inde sinistro
Oenopiam Minos petit Aeacideia regna.
Oenopiam veteres appellauere, sed ipse 475
Aeacus Aeginam genitricis nomine dixit.
Turba ruit, tantaq; virum cognoscere fama
Expetit, occurrunt illi, Telamonq;, minorq;,
Quam Telamon, Peleus, & proles tertia Phocus.
Ipse quoq; egreditur tardus grauitate senili 480

Acacus, & quæ sit veniendi causa requirit.
Admonitus patrij luctus suspirat, & illi
Dicta refert rector populorum talia centum.
Arma iuues oro pro nato sumpta, piæq;
485 Pars sis militiæ, tumulo solatia posco.
Huic Asopiades petis irrita, dixit, & vrbi
Non facienda meæ, neq; enim coniunctior vlla
Cecropidis hac est tellus, ea fœdera nobis.
Tristis abit, stabuntq; tibi tua fœdera magno,
490 Dixit, & vtilius bellum putat esse minari,
Quam gerere, atq; suas ibi præconsumere vires.
Classis ab Oenopiis etiam nunc Lyctia muris
Spectari poterat, cum pleno concita velo
Attica puppis adest, & portus intrat amicos,
495 Quæ Cephalũ, patriæq; simul mandata ferebat.
Aeacidæ iuuenes longo post tempore visum
Agnouere tamẽ Cephalum, dextrasq; dederunt,
Inq; patris duxere domum, spectabilis heros
Et veteris retinens etiam nunc pignora formæ
500 Ingreditur ramumq; tenens popularis oliuæ,
Et dextra, leuaq; duos ætate minores.
Maior habet Clyton, & Buten Pallante creatos.
Post, quam congressi primi sua verba tulerunt
Cecropidæ, Cephalus peragit mãdata, rogatq;
505 Auxilium, fœdusq; refert, & iura parentum,
Imperiumq; peti totius Achæidos addit.
Sic vbi mandatam iuuit facundia causam,
Aeacus in capulo regni nitente sinistra
Ne petite auxilium, sed sumite dixit Athenæ.
510 Nec dubiæ vires, quas hæc habet insula, vestras
Ducite, & omnis eat rerum status iste mearum.

Robora nõ desunt, superat mihi miles, & hosti.
Gratia diis, fœlix, & inexcusabile tempus.
Immo ita sit Cephalus, crescat tua ciuibus opto
Vrbs ait, adueniens equidẽ modo gaudia cepi, 515
Cum tam pulchra mihi, tam par ætate iuuentus
Obuia processit, multos tamen inde requiro,
Quos quondam vidi vestra prius vrbe receptus.
Aeacus ingemuit, tristiq; ita voce locutus.
Flebile principium melior fortuna secuta est. 520
Hanc vtinam vobis possem memorare, sine vllo
Ordine nũc repetã, neu longa ambage morer vos,
Ossa, cinisq; iacent, memori quos mẽte requiris,
Et quota pars illi rerum periere mearum?
Dira lues populis ira Iunonis iniquæ 525
Incidit exosæ dictas a pellice terras.
Dum visum est mortale malum, tantæq; latebat
Causa nocens cladis, pugnatũ est arte medendi.
Exitium superabat opes, victæq; iacebant.
Principio cœlum spissa caligine terras 530
Pressit, & ignauos inclusit nubibus æstus.
Dumq; quater plenis expleuit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Letiferis calidi spirarunt æstibus austri.
Constat & in fontes vitium venisse, lacusq;, 535
Miliaq; incultos serpentum multa per agros
Errasse, atq; suis fluuios temerasse venenis.
Strage canũ primo, volucrũq;, auiũq;, boumq;,
Inq; feris subiti deprensa potentia morbi est.
Concidere infœlix validos miratur arator 540
Inter opus tauros, medioq; recumbere sulco.
Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros

Sponte ſua, lanæq; cadunt, & corpore tabent.
Acer equus quondã, magnæq; in puluere famæ
545 Degenerat palmæ, veterumq; oblitus honorum
Ad præſepe gemit morbo moriturus inerti.
Non aper iraſci meminit, nec fidere curſu
Cerua, nec armentis incurrere fortibus vrſi.
Omnia languor habet, ſyluis, agrisq;, viisq;
550 Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus auræ.
Mira loquar, non illa canes, auidæq; volucres,
Non cani tetigere lupi, dilapſa liqueſcunt,
Afflatuq; nocent, & agunt contagia late.
Peruenit ad miſeros damno grauiore colonos
555 Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus vrbis.
Viſcera torrentur primo, flammisq; fatiſcunt.
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus igni.
Aſpera lingua tumet, tepidisq; arentia ventis
Ora patent, auræq; graues captantur hiatu.
560 Non ſtratum, non vlla pati velamina poſſunt.
Dura ſed in terra ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidũ, ſed humus de corpore feruet,
Nec moderator adeſt, inq; ipſos ſæua medentes
Erumpit clades, obſuntq; authoribus artes.
565 Quo propior quisq; eſt, ſeruitq; fidelius ægro,
In partem leti citius venit, atq; ſalutis
Spes abiit, finemq; vident in funere morbi.
Indulgent animis, & nulla quid vtile cura eſt.
Vtile enim nihil eſt, paſſim, poſitoq; pudore
570 Fontibus, & fluuiis, puteisq; capacibus hærent.
Nec ſitis eſt extincta prius, quam vita, bibendo.
Inde graues morbo nequeunt conſurgere, & ipſis
Immoriuntur aquis, aliquis tamẽ haurit & illas,

Tantaq; ſunt miſeris inuiſi tædia lecti.
Proſiliunt, aut, ſi prohibent conſiſtere vires, 575
Corpora deuoluũt in humũ, fugiuntq; penates
Quiſq; ſuos, ſua cuiq; domus funeſta videtur.
Et quia cauſa latet, locus eſt in crimine notus.
Semianimes errare viis, dum ſtare valebant,
Aſpiceres, flentes alios, terraq; iacentes, 580
Laſſaq; verſantes ſupremo lumina motu.
Membraq; pendentis tendunt ad ſydera cœli
Hic, illic, vbi mors deprenderat, exhalantes.
Quid mihi tunc animi fuit? aut quid debuit eſſe?
Vt vitam odiſſem, & cuperem pars eſſe meorum. 585
Quo ſe cunq; acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat ſtratum, veluti cum putrida motis
Poma cadunt ramis, agitatæq; in ilice glandes.
Templa vides contra gradibus ſublimia longis,
Iuppiter illa tenet, quis non altaribus illis 590
Irrita thura dedit? quoties pro coniuge coniux,
Pro nato genitor, dum verba precantia dixit,
Non exoratis animam finiuit in aris?
Inq; manu thuris pars inconſumpta reperta eſt?
Admoti quoties templis, dum vota ſacerdos 595
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haud expectato ceciderunt vulnere tauri?
Ipſe ego ſacra Ioui pro me, patriaq;, tribusq;
Cum facerem natis, mugitus victima diros
Edidit, & ſubito collapſa ſine ictibus vllis 600
Exiguo tinxit ſubiectos ſanguine cultros.
Fibra quoq; ægra notas veri, monituſq; deorum
Perdiderat, triſtes penetrant ad viſcera morbi.
Ante ſacros vidi proiecta cadauera poſtes.

605 Ante ipſas, quo mors foret inuidioſior, aras.
Pars animã laqueo claudunt, mortiſq; timorem
Morte fugant, vtroq; vocant venientia fata.
Corpora miſſa neci nullis de more feruntur
Funeribus, neq; enim capiebant funera portæ,
610 Aut inhumata premũt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos, & iam reuerentia nulla eſt.
Deq; rogis pugnant, alienisq; ignibus ardent.
Qui lachryment, deſunt, infletæq; vagantur
Natorumq;, matrũq; animæ, iuuenũq;, ſenumq;,
615 Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignes.
Attonitus tanto miſerarum turbine rerum
Iuppiter o dixi, ſi te non falſa loquuntur
Aeginæ amplexus quondam ſub Aſopidos iſſe
Nec te magne pater noſtri pudet eſſe parentem,
620 Aut mihi redde meos, aut me quoq; cõde ſepulchro.
Ille notam fulgore dedit, tonitruq; ſecundo.
Accipio, ſintq; iſta precor fœlicia mentis
Signa tuæ, dixi, quæ das mihi pignoris omen.
Forte fuit iuxta patulis rariſſima ramis
625 Sacra Ioui quercus de ſemine Dodonæo.
Hic nos frugilegas aſpeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
Rugoſoq; ſuum ſeruantes cortice callem.
Dum numerũ miror, totidem pater optime dixi
630 Tu mihi da ciues, & inania mœnia ſupple.
Intremuit, ramisq; ſonum ſine flamine motis
Alta dedit quercus, pauido mihi membra timore
Horruerant, ſtabantq; comæ, tamẽ oſcula terræ,
Roboribusq; dedi, nec me ſperare fatebar,
635 Sperabam tamẽ, atq; animo mea vota fouebam

Nox ſubit, & curis exercita corpora ſomnus
Occupat, ante oculos eadẽ mihi quercus adeſſe,
Et rami totidem, totidemq; animalia ramis
Ferre ſuis viſa eſt, pariterq; tremiſcere motu,
Graniferumq; agmen ſubiectis ſpargere in aruis. 640
Creſcere quod ſubito, maius, maiusq; videtur,
Ac ſe tollere humo, rectoq; aſſiſtere trunco,
Et maciem, numerũq; pedum, nigrũq; colorem
Ponere, & humanã membris inducere formam.
Somnus abit, dãno vigilans mea viſa, querorq;, 645
In ſuperis opis eſſe nihil, at in ædibus ingens
Murmur erat, vocesq; hominũ exaudire videbar
Iam mihi deſuetas, dum ſuſpicor, has quoq; ſomni
Eſſe, venit Telamon properus, foribusq; recluſis
Speq;, fideq;, pater dixit maiora videbis. 650
Egredere, egredior, qualesq; in imagine ſomni
Viſus eram vidiſſe viros, ex ordine tales
Aſpicio, noſcoq;, adeunt, regemq; ſalutant.
Vota Ioui ſoluo, populisq; recentibus vrbem
Partior, & vacuos priſcis cultoribus agros, 655
Myrmidonasq; voco, nec origine nomina fraudo.
Corpora vidiſti, mores, quos ante gerebant,
Nũc quoq; habent, parcũ genus eſt, patiẽsq; laborẽ,
Quæſitiq; tenax, & quod quæſita reſeruet.
Hi te ad bella pares annis, animisq; ſequentur, 660
Cum primum, qui te fœliciter attulit, eurus
(Eurus enim attulerat) fuerit mutatus in auſtros.
Talibus, atq; aliis longum ſermonibus illi
Impleuere diem, lucis pars optima menſæ,
Eſt data, nox ſomnis, iubar, aureus extulerat Sol. 665
Flabat adhuc eurus, redituraq; vela tenebat.

Ad Cephalum Pallante ſati, cui grandior ætas,
Ad regem Cephalus, ſimul & Pallante creati
Conueniũt, ſed adhuc regem ſopor altus habebat.
670 Excipit Aeacides illos in limine Phocus.
Nam Telamon, fraterq; viros ad bella parabant.
Phocus in interius ſpacium, pulchroſq; receſſus
Cecropidas duxit, cum quis ſimul ipſe reſedit.
Aſpicit Aeoliden, ignota ex arbore factum
675 Ferre manu iaculum, cuius fuit aurea cuſpis.
Pauca prius mediis ſermonibus ille locutus,
Sum nemorum ſtudioſus ait, cædiſq; ferinæ.
Qua tamen a ſylua teneas haſtile reciſum,
Iandudum dubito, certe ſi fraxinus eſſet,
680 Fulua colore foret, ſi cornus, nodus ineſſet.
Vnde ſit, ignoro, ſed non formoſius iſto
Viderunt oculi telum iaculabile noſtri.
Excipit actæis e fratribus alter, & vſum
Maiorem ſpecie mirabere, dixit, in iſto.
685 Conſequitur quodcũq; petit, fortunaq; miſſum
Non regit, & reuolat nullo referente cruentum.
Tum vero iuuenis Nereius omnia quærit.
Cur ſit, & vnde datũ, quis tanti muneris autor.
Quæ petit, ille refert, & cætera nota pudore,
690 Qua tulerit mercede, ſilet, tactusq; dolore
Coniugis amiſſæ lachrymis ita fatur obortis.
Hoc me nate dea (quis poſſet credere) telum
Flere facit, facietq; diu, ſi viuere nobis
Fata diu dederint, hoc me cum coniuge cara
695 Perdidit, hoc vtinam caruiſſem munere ſemper.
Procris erat, ſi forte magis peruenit ad aures
Orithyia tuas, magnæ ſoror Orithyiæ.

Si faciem, moresq; velis conferre duarum,
Dignior ipsa rapi, pater hãc mihi iũxit Erechtheus.
Hanc mihi iunxit amor, fœlix dicebar, eramq;. 700
Non ita dis visum est, at nũc quoq; forsitan essem.
Alter agebatur post sacra iugalia mensis,
Cum me cornigeris tendentem retia ceruis
Vertice de summo semper florentis Hymeti
Lutea mane videt pulsis Aurora tenebris, 705
Inuitumq; rapit, liceat mihi vera referre
Pace deæ, q; sit roseo spectabilis ore,
Quod teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis q; alatur aquis, ego Procrin amabam.
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore. 710
Sacra tori, coitusq; nouos, Thalamosq; recentes,
Primaq; deserti referebam fœdera lecti.
Mota dea est, & siste tuas ingrate querelas.
Procrin habe, dixit, q; si mea prouida mens est,
Non habuisse voles, mecq; illi irata remisit. 715
Dum redeo, mecumq; deæ memorata retracto,
Esse metus cœpit, ne iura iugalia coniux
Non bene seruasset, facies, aetasq;, iubebant
Credere adulterium, prohibebant credere mores.
Sed tamẽ abfuerã, sed & hæc erat, vnde redibam, 720
Criminis exemplũ, sed cuncta timemus amantes.
Quærere quod doleam, statuo, donisq; pudicam
Sollicitare fidem, fauet huic Aurora timori,
Immutatq; meam (videor sensisse) figuram.
Palladiasq; ineo non cognoscendus Athenas, 725
Ingrediorq; domum, culpa domus ipsa carebat,
Castaq; signa dabat, dominoq; erat anxia rapto.
Vix aditus per mille dolos ad Erechthida factus.

Vt vidi, obstupui, meditataq; pene reliqui
730 Tentamenta fide, male me, quin vera faterer,
Continui, male quin, vt oportuit, oscula ferrem.
Tristis erat, sed nulla tamen formosior illa
Esse potest tristi, desyderioq; calebat
Coniugis arrepti, tu collige, qualis in illa
735 Phoce decor fuerit, quam sic dolor ipse decebat.
Quid referam, quoties tentamina nostra pudici
Reppulerint mores? quoties ego dixerit vni
Seruor, vbicunq; est, vni mea gaudia seruo.
Cui non ista fide satis experientia sano
740 Magna foret? non sum cõtentus, & in mea pugno
Vulnera, dũ census dare me promitto loquendo
Muneraq; augendo, tandem dubitare coegi.
Exclamo mala, pectora detego, tectus adulter,
Verus eram coniux, me perfida teste teneris.
745 Illa nihil, tacito tantummodo victa pudore
Insidiosa malo cum coniuge limina fugit.
Offensaq; mei genus omne Perosa virorum
Montibus errabat studiis operata Dianæ.
Tum mihi deserto violentior ignis ad ossa
750 Peruenit, orabam veniam, & peccasse fatebar.
Et potuisse datis simili succumbere culpæ
Me quoq; muneribus, si munera tanta darentur,
Hæc mihi confesso læsum prius vlta pudorem
Redditur, & dulces concorditer exigit annos.
755 Dat mihi præterea, tanquã si parua dedisset
Dona, canem munus, quẽ cum sua traderet illi
Cynthia, currendo superabit dixerat omnes.
Dat simul & iaculũ, manibus q̃ cernis habere.
Muneris alterius quæ sit fortuna requiris,

Accipe mirandum, nouitate mouebere facti. 760
Carmina Naiades non intellecta priorum
Soluunt ingeniis, & præcipitata iacebat
Immemor ambagum vates obscura suarum
Scilicet alma Themis, nec talia liquit inulta.
Protinus Aoniis immissa est bellua Thebis. 765
Cessit & exitio multis, pecorumq; suoq;
Ruricolæ pauere feram, vicina iuuentus
Venimus, & latos indagine cinximus agros.
Illa leui velox superabat retia saltu,
Summaq; transibat positarum lina plagarum. 770
Copula detrahitur canibus, quos illa frequentes
Effugit, & cœtum non segnior alite ludit.
Poscor & ipse meum consensu Lælapa magno.
(Muneris hoc nomen) iandudum vincula pugnat
Exuere ipse sibi, colloq; morantia tendit. 775
Vix bene missus erat, nec iã poteramus, vbi esset,
Scire, pedum calidus vestigia puluis habebat.
Ipse oculis ereptus erat, non ocyor illo
Hasta, nec exutæ contorto uerbere glandes,
Nec Gortyniaco calamus leuis exit ab arcu. 780
Collis apex medij subiectis imminet aruis.
Tollor in hunc, capioq; noui spectacula cursus.
Quo modo deprendi, modo se subducere ab ipso
Vulnere visa fera est, nec limite callida recto,
In spaciumq; fugit, sed decipit ora sequentis, 785
Et redit in gyrum, ne sit suus impetus hosti,
Imminet hic, sequiturq; parem, similisq; tenenti
Non tenet, & vanos exercet in aere morsus.
Ad iaculi vertebar opem, quod dextera librat
Dum mea, dum digitos amentis addere tento, 790

Lumina deflexi, reuocataq; rursus eodem
Rettulerã, & medio (mirum) duo marmora cãpo
Aspicio, fugere hoc, illud latrare putares.
Scilicet inuictos ambos certamine cursus
795 Esse deus voluit, si quis deus affuit illis.
Hactenus, & tacuit, iaculo q̃ crimen in ipso est:
Phocus ait, iaculi sic crimina reddidit ille.
Gaudia principium nostri sunt Phoce doloris.
Illa prius referam, iuuat o meminisse beati
800 Temporis Aeacide, quo primos rite per annos
Coniuge eram fœlix, fœlix erat illa marito.
Mutua cura duos, & amor socialis habebat.
Nec Iouis illa meo thalamos præferret amori,
Nec me quæ caperet, non si Venus ipsa veniret,
805 Vlla erat, æquales vrebant pectora flammæ.
Sole fere radiis feriente cacumina primis
Venatum in syluas iuueniliter ire solebam,
Nec mecum famuli, nec equi, nec naribus acres
Ire canes, nec lina sequi nodosa solebant.
810 Tutus eram iaculo, sed cum satiata ferinæ
Dextera cædis erat, repetebã frigus, & vmbras,
Et quæ de gelidis exibat vallibus, auram.
Aura petebatur medio mihi lenis in æstu.
Auram expectabam, requies erat illa labori.
815 Aura (recordor enim) venias cantare solebam,
Meq; iuues, intresq; sinus gratissima nostros.
Vtq; facis, releuare velis, quibus vrimur, æstus.
Forsitan addideram (sic me mea fata trahebant)
Blanditias plures, & tu mihi magna voluptas,
820 Dicere sum solitus, tu me reficisq;, fouesq;.
Tu facis, vt syluas, vt amem loca sola, meoq;

Spiritus iſte tuus ſemper capiatur ab ore.
Vocibus ambiguis deceptam præbuit aurem
Neſcio quis, nomenq; auræ tam ſæpe vocatum
Eſſe putat nymphæ, nymphã mihi credit amari. 825
Criminis extemplo ficti temerarius index
Procrin adit, linguaq; refert audita ſuſurra.
Credula res amor eſt, ſubito collapſa dolore,
Vt mihi narratur, cecidit, longoq; refecta
Tempore ſe miſeram, ſe fati dixit iniqui. 830
Deq; fide quæſta eſt, & crimine concita vano,
Quod nihil eſt, metuit, metuit ſine corpore nomen.
Et dolet infœlix veluti de pellice vera.
Sæpe tamen dubitat, metuitq; miſerrima falli.
Indicioq; fidem negat, & niſi viderit ipſa, 835
Damnatura ſui non eſt delicta mariti.
Poſtera depulerant Auroræ lumina noctem.
Egredior, ſyluasq; peto, victorq; per herbas
Aura veni, dixi, noſtroq; medere labori.
Et ſubito gemitus inter mea verba videbar 840
Neſcio quos audiſſe, veni tamen optima dicens,
Fronde leuem rurſus ſtrepitum faciente caduca
Sum ratus eſſe feram, telumq; volatile miſi.
Procris erat, medioq; tenens in pectore vulnus.
Hei mihi conclamat, vox eſt vbi cognita fidæ 845
Coniugis, ad vocem præceps, amensq; cucurri.
Semianimem, & ſparſas fœdantẽ ſanguine veſtes,
Et ſua (me miſerum) de vulnere dona trahentem
Inuenio, corpusq; meo mihi carius vlnis
Mollibus attollo, ſciſſaq; a pectore veſte 850
Vulnera ſæua ligo, conorq; inhibere cruorem,
Neu me morte ſua ſceleratum deſerat, oro.

Viribus illa carens, & iam moribunda coegit
Hæc se pauca loqui, per nostri fœdera lecti,
855 Perq; deos supplex oro, superosq;, meosq;,
Per si quid merui de te bene, perq; manentem
Nunc quoq;, cũ pereo, causam mihi mortis, amorẽ,
Ne thalamis auram patiare incumbere nostris.
Dixit, & errorem tum deniq; nominis esse
860 Et sensi, & docui, sed quid docuisse iuuabat?
Labitur, & paruæ fugiunt cum sanguine vires.
Dũq; aliquid spectare potest, me spectat, & in me
Infœlicem animam, nostroq; exhalat in ore.
Sed vultu meliore mori secura videtur.
865 Flentibus hæc lachrymãs Heros memorabat, & ecce
Aeacus ingreditur duplici cum prole, nouoq;
Milite, quẽ Cephalus cum fortibus accipit armis.

P. OVI. NASO. METAMORPHOSEON LIB. VIII.

AM NITIdum retegente diem,
noctisq; fugante
Tempora lucifero cadit Eurus, & humida surgunt
Nubila, dant placidi cursum redeũtibus austris
Aeacidis, Cephaloq;, qbus fœliciter acti
5 Ante expectatum portus tenuere petitos,
Interea Minos Lelegeia littora vastat,
Prætentatq; sui vires Mauortis in vrbe
Alcathoe, quã Nisus habet, cui splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
10 Crinis inhærebat magni fiducia regni.